

caput omnium hominum : hoc enim officium possimum habuit in supernaturalibus, quod sufficienter salvatur per scientiam supernaturalem in primo instanti infusam.

Obj. 2. Ideò Christus à primo instanti conceptionis habuit scientiam infusam : quia aliás intellectus Christi fuisset imperfectus carens scientiâ, cuius esset capax ; atqui si Christus per proprios actus acquisivit scientiam naturalem , à primo instanti caruit scientiâ, cuius pro tunc erat capax : poterat enim Christo , sicut Adamo , scientia naturalis infundi,

R. Distinguendo Mi. Caruit scientiâ cuius erat capax , eratque Christo pro illo tempore debita N. erat indebita Con. scientia infusa . utpote à Phantasmatibus independens , non minus erat pro primo instanti conceptionis , quam sequentibus , debita ; Scientia autem animæ Christi experimentalis non erat pro primo instanti connaturaliter debita , quin erat major perfectio notitiam aliquam ministerio sensuum & per operationes intellectus agentis comparare , quam omnem à primo instanti simul obtinere.

DISPUTATIO IX.

De Libertate & Impeccabilitate Christi.

Christum fuisse liberum in prosequendo vel fugiendo objecto sibi proposito vel prohibito clarum est eò quod per actus suos , quibus mandatum (sive rigorosum , sive minus rigorosum fuerit) implevit , fuerit merius. Meriti autem conditio est libertas. Sed maxima est difficultas concordandi libertatem Christi in implendo præcepto cum ejus impeccabilitate ; vel enim Christus potuit velle

non mori, vel non potuit: si potuit velle non mori, potuit peccare: quia velle non mori, dum mors est præcepta, est velle transgredi præceptum, & consequenter peccare. Si non potuit velle non mori: non fuit liber: quia non fuit indifferens ad velle & non velle mori, ad quam difficultatem fugiendam aliqui dicunt Christum non fuisse capacem rigorosi præcepti. Alii admittunt rigorosum præceptum, sed volunt, fuisse libertè mortuum: quia potuit petere dispensationem præcepti. Alii denique volunt mortem liberam fuisse quoad circumstantias, non quoad substantiam.

QUÆSTIO I.

An Christus habuerit strictum præceptum?

DICO. Christus mandatum accepit à Patre, ut pateretur. S. Th. hic Q. 47 a. 2. ad 1. Sive Christus fuit capax secundum humanitatem rigorosi præcepti non quoad vim coactivam & comminatormam pœnæ, sed quoad vim directivam & obligatoriam & de facto tale præceptum habuit de morte, non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias, cuius dispensationem petere non potuit.

Prima Pars conclusionis probatur: Natura intelle-
ctualis, quæ non est sua Regula, habens suprà se
voluntatem & Jurisdictionem superiorē, est ca-
pax præcepti obligatorii: quia ad obligationem
rigorosam plus non requiritur, quam potestas Ju-
risdictionis in præcipiente, & subjectio naturæ li-
beræ; atqui humanitas Christi non erat sua Regula,
sed habebat suprà se voluntatem divinam, cui non
minus in humanitatem Christi, quam alias creatu-
ras, competit suprema Jurisdictionis; ergo humani-

tas

DE LIBERT. ET IMPECC. CHRISTI. 155

tas Christi fuit capax rigorosi præcepti, quoad vim directivam & obligatoriam, non autem quoad vim coactivam & comminativam pœnæ: quia: uti dicetur humanitas Christi non fuit capax ullius culpæ, conque nter nec ullius pœnæ, quæ culpam essentialiter præsupponit.

Dices. Implicat naturam incapacem omnis culpæ obligari sub culpa; sicut implicat naturam incapacem pœnæ obligari sub pœna; sed præceptum rigorosum obligat sub culpa; ergo implicat naturam humanam Christi impeccabilem & incapacem culpæ obligari præcepto rigoroso.

R. Distinguendo Mi. Præceptum rigorosum comminatorium culpæ obligat sub culpa Con. præceptum rigorosum tantum directivum & obligativum in conscientia obligat sub culpa N. tunc præceptum rigorosum est comminatorium culpæ, quando applicatur subjecto capaci transgressionis, est tamen autem directivum & obligativum, quando subditus non est capax transgressionis: quia præcipiens non intendit, ut subditus peccet, ideoque si subditus ante præceptum fuerit impeccabilis, etiam post præceptum est & manet impeccabilis & incapax incurandi culpam; si autem subditus peccare possit, eo ipso, quo aliquid præcipitur, obligatur sub culpa, & est præceptum comminatorium culpæ.

Secunda Pars probatur, ex illo Joan. 14. v. 31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Verba autem Scripturæ sunt in proprio sensu intelligenda, si nulla inde sequatur inconvenientia, ut in præsenti non sequitur.

2. Ratione Christus mortuus est ex vera & perfecta obedientia: Juxta illud Apost. ad Philip. 2. v. 8. Factus obediens usque ad mortem; Sed obedi-

obedientia perfecta requirit rigorosum præceptum; quia obedientia respicit idem objectum vel præceptum per modum conversionis, quod respicit inobedientia per modum aversionis & fugæ; atqui inobedientia propriè dicitur per ordinem ad præceptum rigorosum; ergo etiam obedientia. Sicut igitur inobedientia Adami fuit contrà præceptum rigorosum, ita obedientia Christi ab Apostolo opposita inobedientiæ Adami fuit circà rigorosum præceptum. Item obedientia respicit voluntatem superioris, quatenus est distincta à voluntate non superioris: sed non distinguitur, nisi quatenus obligans & habens rationem præcepti; nam etiam inferior aut æqualis potest aliquid simpliciter velle, aut consilium dare.

Obj. Isa. 53. v. 7. dicitur: Oblatus est, quia ipse voluit. Concordant SS. PP., qui sæpius dicunt, Christum sponte suscepisse mortem quin & S. Th. 2.2. Q. 104. a. 2. admittit, quod perfecta obedientia non exspectet præceptum; ergo potuit Christus perfectè obediens, non exspectato rigoroso præceptio.

R. Similia loca Scripturæ & Sanctorum Patrum non excludunt rigorosum præceptum obligatorium, sed solum comminatorium; nec plus indicant, quam quod Christus liberam impletionem præcepti absque ulla imperfectione habuerit, ideoque perfecta obedientia Christi propter suam summam perfectionem non indigebat expresso præcepto, sed sufficiebat præceptum tacitum in ipsa voluntate Patris clare cognita insinuatum.

Tertia Pars probatur: Scriptura dicit Christum habuisse mandatum tam quoad circumstantias, quam quoad substantiam mortis: ut indicat Apost. eis. loc. ad Philip. 2. Faetus obediens usque ad mortem

De
nuntiem. C
Crucis, ub
biom est, c
plectenda
nutto solo
ejus circum
et à Proph.
Quarta
penitentia
Christo,
Christi han
illud Apof
superest, E
dispensatio
illud ratum
que fuisset
& otiosus
passionem
mani esse
finitam.

An Chr.
DICO.
mor
Sive Chri
qua liber
cendo:
Christus
negativè;
abilitas i
Explic
ter priuati
opponitu

requiri rigorum præceptum;
sic idem objectum vel præ-
ventionis, quod respici in-
venit & fuge, aquilin.
per ordinem ad præcep-
tum obediens. Sicut igit
contra præceptum ri-
lli ab Apostolo oppo-
rit circa rigorum præ-
elicit voluntatem su-
am a voluntate non sa-
t, nisi quatenus obli-
egi; nam etiam in-
id simpliciter velle,

utriusque, quia ipse vo-
zpius dicunt, Chri-
quio & S. Th. 2.2. per-
fecta obediens
ego posuit Christus
etato rigorolo præ-

DE LIBERT. ET IMPRECC. CHRISTI. 157

mortem. Quo insinuat substantia, mortem autem
Crucis, ubi denotantur circumstantiae. Nec du-
biū est, quin perfectior fuerit obedientia in am-
plectenda morte & circumstantiis, quam in alte-
turro solo præsertim cum non minus mors, quam
ejus circumstantiae omnes sint prædefinitæ a Deo,
& a Prophetis prædictæ.

Quarta Pars probatur: Potestas petendi dis-
pensationem destruit perfectionem obedientiae in
Christo, dum illam principalius in voluntatem
Christi humanaam, quam divinam reducit, contrà
illud Apost. ad Rom. 8. v. 32. *Proprio Filio suo non*
pepercit. Et æquè impossibile erat Christo, petere
dispensationem præcepti sibi intimati, vel nolle
illud ratum habere, ac velle non mori: quia utrum-
que fuisset moralis imperfectio, actus imprudens
& otiosus; videbat enim Christus claram mortem &
passionem a Deo in Redemptionem generis hu-
mani esse ordinatam, & indispensabiliter præde-
finitam.

QUÆSTIO II.

An Christus illud præceptum liberè impleverit?

DICO. *Christus... poterat suam passionem &*
mortem impedire. S. Th. hic Q. 47. 2. 1. O.
Sive Christus liberè præceptum moriendi implevit,
qua libertas concordatur cum impeccabilitate di-
cendo: quod stante præcepto rigoroso poterat
Christus non mori, non quidem privativè, sed
negativè; & hoc modo salvatur libertas & impe-
cabilitas in Christo.

Explicatur: Ly *non mori* potest accipi dupli-
citer privativè, & negativè. Privativè acceptum
opponitur morti, quatenus per præceptum divi-

num est debita. Negativè vel præcisivè acceptum significat negationem mortis , ut est aliquod malum naturæ abstrahiendo : an sit sub præcepto, vel non ; dicimus igitur : quod Christus stante præcepto habuerit potentiam ad non moriendum, prout non mori absolute & præcisivè accipitur pro negatione mortis ut sic: hac enim ratione negatio mortis sicut ante ita etiam post præceptum repræsentabatur humanitati Christi sub indifferentia & sub ratione eligibilitatis, non autem poterat velle non mori privativè , quatenus mors repræsentabatur ut præcepta : hac quippe ratione negatio mortis ut pote peccatum non poterat repræsentari sub ratione boni eligibilis. Hac explicatione præviâ.

Prima Pars probatur: Materia præcepti est actus liber ; ergo si mors Christi fuerit materia præcepti; ut dictum est : etiam fuit à Christo liberè suscepta.

Secunda Pars probatur 1. Ille modus concordat libertatem cum impeccabilitate Christi , per quem Christus non potuit velle transgredi præceptum, in quo consistit impeccabilitas , & tamen potuit velle non mori, in quo consistit libertas ; atqui juxta prædictum modum Christus stante præcepto non potuit illud transgredi : quia non potuit velle componere negationem mortis cum actuall præcepto. Potuit tamen velle non mori : quia poterat velle negationem mortis præcisivè secundùm se spectatam ; ergo.

2. Illa indifferentia sufficit ad liberè impletum præceptum mortis, quæ in præcepto mortis supponitur & includitur ; sed indifferentia ad non moriendum præcisivè & negativè includitur & supponitur ad præceptum mortis : Christus enim non aliter habuit indifferentiam ad moriendum , nisi quatenus negatio mortis illi poterat apparere eligibilis;

bilis; sed negatio mortis solum negativè non autem privativè poterat apparere eligibilis: quia Christus, cum esset impeccabilis, ut dicetur: non poterat habere indifferentiam contrarietas ad bonum & malum, quam tamen habuisset, si negatio mortis privativè sumpta Christo sub ratione eligibilitatis apparere potuisset.

Obj. 1. Christus stante præcepto non poterat esse inobediens Patri; atqui non moriendo fuisset inobediens Patri; ergo non poterat velle non mori; ergo non est liberè mortuus.

R. Distinguendo Maj. Non poterat esse inobediens formaliter, privativè & contrariè, eligendo nimicum, quod sciebat repugnare præcepto Patris Con. materialiter, negativè & præcisivè, sive non poterat non velle id, quod erat à Patre præcep- tum abstrahendo à præcepto N.

Obj. 2. Si Christus stante præcepto non fuisset mortuus, etiam contrariè & privativè non fuisset mortuus, & actu peccasset; ergo etiam si Christus potuit non mori, potuit actu transgredi præceptum: quia ab actu ad potentiam valet consequentia.

R. N. Consequentiam: Ratio est: quia actus & exercitium operis non potest præscindere à conjunctione præcepti, potentia verò & voluntas potest præscindere: quia fundatur in propositione objecti, quâ negatio mortis præcisivè secundùm se sumpta sub objectivâ indifference repræsentatur; unde variatur ampliatio, & arguitur à non restricto ad restrictum: ex eo enim, quod Christus potuerit ponere negationem obedientiæ sub ratione negationis, infertur, quod potuisset illam ponere sub conceptu privationis. Sic & ipsi Adversarii ad Syllogismum hunc simili defectu laborantem:

qui

qui actus non poneret praescitum à Deo, falsificaret scientiam Dei; at qui homo potest non ponere actum praescitum à Deo; ergo potest falsificare scientiam Dei: dicere debent: consequentiam deficere: quia fit transitus à sensu composito ad divisum;

Ad Axioma: ab actu ad potentiam datur bona consequentia, vel quod facit actus actu, facit potentia possibiliter.

R^e. Quod actus habet per se, idem habet potentia possibiliter; non autem quod actus habet per accidens, & ex aliqua suppositione accidentali; E. g. quia homo a clu per se est animal posse esse hominē est posse esse animal; non autem valet: si amans non amatet componeret odium cum amore; ergo etiam si possit non amare potest compонere odium cum amore. Axioma autem illud ab actu ad potentiam &c. tenet, si eodem modo & sub eadem ratione sumantur, & fiat comparatio actū ad aētū non aliter nec aliud quid involvendo, quam involvatur in comparatione potentiae ad potentiam.

Obj. 3. Omnis necessitas antecedens tollit libertatem; sed necessitas moriendi, quam Christus habuit, est antecedens, oritur enim ex impeccabilitate Christi, & præcepto, quod utrumque præcessit voluntatem liberam Christi; ergo necessitas ex his orta est antecedens.

R^e. Distinguendo Maj. Omnis necessitas antecedens per modum naturae & tollens indifferentiam Judicii tollit libertatem Con. non tollens indifferentiam Judicii N. impeccabilitas autem & præceptum Patris non auferunt indifferentiam Judicii; quia negatio mortis præcisivè & secundum se est aliquod bonum eligibiliter representatum in intellectu Christi.

Deutero IX.
succèr præcium a Deo, fideliter
qui hunc poset non posere
tempore poset fidelitatem facien-
tiam; consequitur defice-
re complicitate ad divisionem;
ad potentiam datur bona
in aliis actis, facit po-

et se, idem habet po-
rem quod ihsus haberet
suppositione accidenti-
per se est animal posse
malum non autem valeret
terodium cum ambo
mores potest compo-
nita autem illud ab
si eodem modo &
& fiat comparatio
illud quid involven-
tatione potentia ad

antecedens tollit si-
tiendi, quam Christus
ur enim ex impecca-
quod utramque pr.
Christi; ergo necessarius

Omnis neceſſarius
& tollens indiffer-
tē Con, non indiffer-
tē impeccabiliter &
affertur indifferētū Ju-
ris præcītū & secundū
eligibiliter respondētū

DE LIBERT. ET IMPECC. CHRISTI. 161

¶. 2. Permissā maj. N. min. cuius probatio
distinguitur: Præceptum antecedit voluntatem li-
beram simpliciter respectu voluntatis N. secundūm
quid Con. illa suppositio est simpliciter antece-
dens, quæ nec causatur à libera determinatione vo-
luntatis, nec ab aliquo, quod liberam voluntatis
determinationem eminenter continet, nec datur
ad causandam & inferendam ipsam determinatio-
nem voluntatis; illa suppositio est secundūm quid
antecedens, & secundūm quid vel virtualiter con-
sequens, quæ quidem est ante liberam determi-
nationem voluntatis, est tamen consequens ad ali-
quid, quod ipsam liberam determinationem vo-
luntatis cauit, quam eminenter in se continet, &
talis est determinatio Dei ad acceptationem præ-
cepti in Christo; non enim determinavit quam-
cunque acceptationem, sed liberam. Unde diffe-
rentia est inter amorem beatificum in beatis, & ac-
ceptationem mortis in Christo; licet enim utrum-
que sequatur ad Dei determinationem præconti-
nentis eminenter libertatem Christi & beatorum:
quia tamen amor beatificus sequitur ad determina-
tionem Dei volentis, quod amor fiat necessariò;
ideò amor in beato est necessarius. Acceptatio ve-
tō Christi sequitur ad determinationem Dei decer-
nentis & præcipientis, ut fiat acceptatio mortis li-
berè cum potentia ad oppositum, & indifferen-
tia Judicii, idèò hæc acceptatio est libera.

Obj. 4. Ut sit libertas debet utrumque extre-
mum libertatis posse conjungi cum actu primo;
atqui præceptum moriendi pertinet ad actum pri-
mum, & cum præcepto non potest conjungi non
acceptatio mortis; ergo non fuit in Christo liber-
tas ad non acceptandum.

¶. Distinguendo maj. Ut sit libertas debet u-

Pars III. Theol. Schol.

L

trum-

trumque extremum libertatis posse conjungi cum actu primo potentiae liberæ ad utrumque extremum. **Con.** cum actu primo tenente se ad unum tantum **extremum N.** præceptum de morte tenet se quidem ex parte actus primi, non dantis posse omittere mortem, sed dantis posse acceptare mortem. Hinc licet non possit cum illa componi non acceptatio mortis, relinquit tamen libertatem: quia relinquit potentiam non volendi mortem præcisi. vè; exemplum clarum est in gratia sanctificante, quæ tenet se ex parte actus primi in ordine ad actum charitatis: licet enim cum illa non possit componi oppositum extremum libertatis: odium vel omissione charitatis, tamen relinquit libertatem, quia ita influit in actum charitatis, ut relinquat in subje. cto facultatem ad oppositum.

Obi. 5. Qui liberè acceptavit mortem ut præceptam, potuit non acceptare mortem ut præceptam, & consequenter omittere privativè: quia componere omissionem cum præcepto, esset omittere privativè; atqui Christus acceptavit liberè mortem ut præceptam: quia illam acceptavit ex obedientia, quæ versatur circa rem præceptam ut præceptam.

Rz. N. maj. quia acceptationi liberæ mortis ut præceptæ opponitur tam negatio quam privatio acceptationis, & acceptare mortem ut præceptam, est illam acceptare ex motivo obedientiæ; ut autem hoc fiat liberè, non requiritur, quod possit non acceptari ex motivo obedientiæ, ut per se patet, sed sufficit, quod absolute possit non acceptari.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Christus fuerit intrinsecè impeccabilis?

Quæstio est: an Christus non tantùm ab extrinseco, ex speciali Dei protegentis, & auxilia efficacia providentis favore, sed etiam ab intrinseco sit impeccabilis; in qua difficultate ex dictis tum disput. præced. tum 1. 2. disput. II. de beatitudine certum est: quod Christus de lege ordinaria peccare non potuerit: quia à primo instanti Incarnationis erat beatus, habebat plenitudinem gratiæ, cum quibus non potest sublister peccatum, nec in sensu composito, nec in sensu diviso. Quæritur ergo; an si verbum assumpsisset humanitatem absque beatitudine & sine gratiæ actualis munere, humanitas posset peccare? de quo

DICO Voluntas Christi licet sit determinata ad bonum: non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum, & ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono. S. Th. hic q. 18. a. 4. ad 3. Sive humanitas Christi non tantum non peccavit, sed nec peccare potuit peccato cum unione consistente, nec peccato unionem destruente.

Prima pars constat ex Joan. 8. v. 46. ubi Christus ad Judæos dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* 1. Pet. 2. v. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

Secunda Pars probatur. 1. Illa natura non potest peccare peccato cum unione composito, quæ in omni sua operatione gubernatur à Deitate sibi vi unionis hypostaticæ unitâ: quia absolute illam naturam deficere à regulis morum implicat, quæ

gubernatur & dirigitur à Regula indefectibili, ei-
que immobilius & perfectius unitur, quām per ip-
sam visionem beatam, si enim natura specialiter à
Deitate gubernata deficeret, ille defectus imputa-
retur ipsi Deitati: cùm Deo attribuat illud, ad
quod concurret ut Author specialis; atqui Verbum
hypostaticè unitum humanitati est author & guber-
nator specialis & principium *quod* operationum
Christi: quia quando duo principia subordinata
conjuguntur in una eademque persona, illi, quod
est superius, incumbit regere & gubernare infe-
rius; sicut in unione animæ cum corpore animæ in-
cumbit regere corpus, in unione politica Reipu-
blicæ Magistratus debet regere subditos, in unio-
ne domestica Vir debet regere uxorem, Dominus
famulum; ita quia natura humana intimè unitur
Verbo, Verbum debet dirigere & gubernare ope-
rations humanitatis, ideoque si in illis humanitas
deficeret, Verbum deficeret, quod implicat.

Probatur 2. Suppositum humanitatis non po-
test peccare, quia est Deus; atqui humanitate pec-
cante, suppositum peccaret: quia actiones sunt
suppositorum, & suppositum est principium *quod*
elicitivum operationum, unde & operationes
Christi vocantur Theandricæ.

Probatur 3. Gratia sanctificans non potest com-
poni cum peccato; ergo multò minus gratia unio-
nis; probatur consequentia: quia per gratiam
unionis humanitas est magis sanctificata, magis
unita Deitati, quām per gratiam sanctificantem;
ergo si hæc sit incompossibilis cum peccato, multò
magis illa.

Obj. 1. Non minus repugnat Verbo mors,
quām peccatum; sed potuit humanitas à Verbo
assumpta mori, absque hoc, quod talis imperfe-
ctio

DIVINATIO IX
giora Regula iudeo-christi, et
peccatum minor, quod per ipsi-
us, & in natura specialiter a-
cer, illi defensio imputa-
bitur illud, ad
seculis; sicut Verbum
aucto & gubernator
operationum
principia subordinata
de persona, illi, quod
re & gubernare inf.
im corpore anima in
one politica Reipu-
blicanos, in unio-
nem, Dominus
nra intime unitur
et gubernare ope-
ri in illis humanitas
quod implicat,
umanitatis non po-
qui humanitate pec-
quia actiones sunt
est principium quod
de & operationes
cans non potest com-
illio minùs gratia uno-
a; quia per gratia
js sanctificata, sicut
gratiam sanctificata;
obilis cum peccato nro

s repugnat Verbo nostra,
potuit humani i Verbo
hoc, quod nro imperfe-
ctio

Etio daretur in Deo; ergo etiam potuit peccare,
absque hoc, quod peccatum redundet in Deum.

R. Distinguendo maj. Non minus repugnat
Deo mors & passio in se ipso, quam peccatum in
se ipso Con. Non minus repugnat mors in aliena
natura, quam peccatum in aliena natura N. Ex-
plico: Mors & similes defe~~ctus~~ naturales non sunt
mala moralia essentialiter exclusiva omnis bonita-
tis & referibilitatis in Deum; unde sicut Deus in se
immortalis potest mortem causare in aliis naturis,
ita etiam potuit Verbum in natura assumpta admit-
tere mortem in ordine ad finem excellentissimum
meriti & gloriae Divinæ; at peccatum est malum
mrale essentialiter exclusivum omnis bonitatis
moralis & referibilitatis in Deum; ideo, sicut
Deus in alio subjecto specialiter peccatum causare
non potest, ita etiam implicat, ut Verbum in na-
turā assumptā ad peccatum ut principium quod con-
currat.

Obj. 2. Suppositum non est principium quod
nec principium quo operationum humanitatis sub-
sistens: quia variato supposito non variatur ope-
ratio; alias operationes humanæ Christi specie dif-
ferent à nostris, cum sint elicite ut quod à specie
diversis suppositis; ergo peccatum humanitatis
Christi non tribuitur supposito Divino.

R. N. Ant. Ad cuius probat, dico: Operatio-
nem specificari non à principio quod sed à princi-
pio quo, quæ est ratio proxima operandi, & ideo
variato principio quod non variatur operatio.

Obj. 3. Peccatum non est incompossibile cum
unione hypostatica: quia Deus potuit assumere na-
turam humanam infectam peccato originali, v. g.
qua ante subsistebat subsistens propria; atqui in
tali casu esset simul originale peccatum cum unione

hypostatica; quæ peccato originali contradictione non opponitur.

R. N. Ant. Ad cuius probat, dico: Unio hypostatica opponitur contradictione peccato originali contradictione virtuali: quia habent effectus formales contradictione oppositos, unio sanctificat, peccatum originale inficit. Unio conjungit Deo, peccatum originale separat à Deo.

Obj. 4. Deus potest permettere in natura aliena peccatum, ergo & in assumpta: quia æquè est gubernator naturæ alienæ, quamassumptæ.

R. N. Consequentiam Disparitas est: Deus est provisor universalis respectu omnium creaturarum, ad quem pertinet permittere aliqua mala; respectu naturæ assumptæ est provisor particularis: cùm teneatur specialiter in operibus suis illam dirigere, ideoque in illa non potest permittere peccatum, quod ipsi dirigenti imputatur.

Obj. 5. Deus ex Jure supremi Dominii potest humanitati denegare gratiam efficacem, cùm humanitas Christi sit æquè quoad suas operationes & potentias subjecta Deo, ac aliæ creaturæ; ergo etiam humanitati Christi denegare potest gratiam efficacem, sicut aliis creaturis; atqui denegatâ gratiâ efficace humanitas Christi peccaret; ergo.

R. Potest Deus denegare humanitati Christi auxilia efficacia potentia antecedente Con. potentia consequente & supposita unione hypostaticâ N. licet enim Deus ut supremus Dominus nulli teneatur auxilia efficacia dare absolute, & nullâ factâ suppositione, ex suppositione tamen talis formæ, quæ habet intrinsecam exigentiam auxiliorum efficacium: qualis est visio beatifica, unio hypostatica, illa dare tenetur.

Obj. 6. Natura humana Christi retinuit proprie-

prietates naturales & modum intrinsecum operandi, quem haberet etiamsi non esset assumpta; atqui natura humana ab intrinseco habet quod possit peccare: quia est creata ex nihilo, ex proprio modo operandi est indifferens ad bonum & malum; ergo.

R^e. Distinguendo maj. Natura humana retinuit proprietates defectivas N. perfectivas Con. Proprietas defectiva vel conveniens humanitati, ut principium defectibile est, est peccabilitas proxima, & modus operandi indifferenter ad bonum & malum, quae proprietas fuit impedita per personalitatem Divinam unientem humanitati infinitam sanctitatem & Regulam indefectibilem Deitatis; quod autem humanitas sit facta ex nihilo, nil plus probat, quam quod habeat potentiam remotam peccandi, quam sibi relicta esset defectibilis.

Obj. 7. Si Verbum unitum humanitati sit obligatum illam dirigere, ne peccet, vel hoc est proprium Verbo, vel commune tribus personis, neutrum est dicendum: non primum: quia gubernatur humanitas per omnipotentiam dantem auxilia efficacia; non secundum: quia solum Verbum non ceterae personae terminant naturam humanam.

R^e. Distinguendo priuam Partem: Gubernatur humanitas per omnipotentiam ob unionem hypostaticam ad personam Verbi Con. Sine respectu & exigentia talis unionis N. per quod patet ad aliud. Igitur causa, quare Deus vel omnipotentia Divina regat specialiter humanitatem Christi est Verbum hypostaticè unitum humanitati; ita, ut specialis regulatio sit communis omnibus personis, ipsa tamen exigentia talis directionis sit propria personalitati unitæ.

Tertia Pars probatur: In quo non mansit expedita

dita potentia proxima peccandi ex parte actus primi, ille non potuit peccare in sensu diviso peccato unionem destruente; sicut homo justus retinet potentiam peccandi: quia sub gratia retinet potentiam proximam peccandi; atqui Christus non retinuit potentiam proximam peccandi: talis enim potentia repugnat supposito Divino; ergo etiam humanitati subsistenti subsistentia divina, quia subsistentia Divinis non tantum ipsum peccatum, sed etiam potentia proxima peccandi repugnat: cum faciat humanitatem infinitam sanctam, immobiliter affinem primae Regulae. Gratia autem sanctificans in homine justo, licet repugnet eidem consistere cum peccato, consistit tamen cum potentia peccandi, utpote subjecta usui liberi arbitrii, & ipsam animam non immobiliter sed defecibiliter Deo conjungens.

Dices: Non minus opponitur gratia sanctificans quam unio hypostatica peccato: cum peccatum sit privatio gratiae; atqui cum gratia sanctificante consistit potentia peccandi; ergo etiam cum gratia unionis.

R^e. N. maj. Quia unio hypostatica non tantum actuali peccato, sed etiam potentiae peccandi opponitur, gratia autem sanctificans soli peccato actuali & habituali opponitur, non vero potentiae peccandi. Ratio disparitatis est: quia gratia sanctificans est superaddita naturae subsistenti, ideoque potest a natura procedere actio, quae non procedat a gratia, & sic sit actio defectuosa; subsistentia Verbi constituit humanitatem Christi principium quod suarum operationum, ideoque nulla actio procedit ab humanitate, quae non procedat a supposito ut quod; sicut igitur a gratia nulla actio procedere potest, quae sit defectuosa, ita etiam ab huma-

humanitate, quæ subsistentiâ Divinâ subsistit, nulla actio detectuosa procedere potest, & cùm omnes actiones Christi à supposito ut *quod* procedant, nulla actio Christi potest esse defectuosa, licet aliqua operatio justi, quia omnes à gratia non procedunt, possit esse peccaminosa expellens gratiam.

Ex dictis

Colliges 1. Licet Christus habuisset corpus & naturam ab Adamo seminaliter propagatam, non potuisset tamen contrahere peccatum originale ob intrinsecam & essentialiem repugnantiam sanctitatis Divinæ cum quacunque macula, morali defectu & habituali aversione à Deo.

Colliges 2. Fuisse in Christo remotam potentiam ad peccandum: quia hæc est essentialis defectibilitas naturæ ex nihilo creatæ, quæ, cùm non possit esse prima Regula morum, neque habeat ex sua essentia, quòd sit immobiliter & indefectibiliter primæ regulæ conjuncta, hinc essentialiter sive ex principiis suis intrinsecis habet, quòd sibi reliqua sit defectibilis.

Q U A E S T I O IV.

An in Christo fuerit fomes peccati?

Notandum: quòd fomes peccati sit concupiscentia seu appetitus sensitivus inordinate & cum privatione debitæ subjectionis ad rectam rationem inclinans ad bonum sensibile; si consideratur in actu primo, est habitualis & inordinata concupiscentia appetitus sensitivi, in quantum repugnat rationi & inclinationi in honestum, & dicitur fomes peccati in actu primo, sicut ipsa motio appetitus sensitivi præveniens rationem & trahens ad bonum sensibile rationi contrarium vocatur fomes peccati in actu secundo.

DICO:

DICO: Cum in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum consequens est, quod in eo fomes peccati non fuerit. S. Th. hic Q. 15. a. 2. O.

Probatur 1. ex illo Matth. 1. v. 20. Quod in ea natura est de Spiritu sancto est; sed Spiritus S. excludit peccatum & inclinationem peccati, quae importatur nomine fomitis, ergo.

Probatur 2. Ratione in conclusione adducta: quantò major est virtus moralis, tantò magis debilitatur vis fomitis & inclinatio in peccatum; sed in Christo gratiae & virtutes fuerunt in gradu omnium perfectissimo & incomparabiliter majore, quam in Adamo; Maj. probatur: quia Virtutis moralis officium est appetitum subjecere rationi; sic temperantia subjicit concupiscibilem & mansuetudo appetitum irascibilem; ergo quantò major est virtus moralis, tantò magis debilitatur inclinatio sensuialis in bonum rationi contrarium.

Probatur 3. Ut dicetur: Christus non assumpsit defectus, nisi ordinabiles ad satisfaciendum; sed fomes peccati nullo modo erat ordinabilis ad satisfaciendum; sed potius inclinasset in id, quod est satisfactioni contrarium; ergo.

Obj. 1. In Christo erat pugna interna inter inclinationem carnis seu appetitus sensitivi & inter rationem: quia in horto caro refugiebat mortem præceptam, quam tamen amplectendam dictabat ratio superior.

2. Christus accepit victoriam & coronam; ergo etiam habuit pugnam, non enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

3. Fomes peccati non est peccatum formaliter, ideoque in justis reperitur, sed est quædam poenititas ex peccato originali in genus humanum derivata; Christus autem assumpsit poenitentes peccati originalis. Ergo

B. ad

DE L
B. Ad i
tem præcep
tua ineffici
lentia ad ra
bentia comp
adicaret; o
pot appetitu
bi diviso pa
refugeret.

Ad 2. Q
er pugnam
non cum ho
Quod si i
tem; ergo
quia non po
quitione re
habitatione

B. Pug
nali sub rat
movendi ap
imperio rati
objectum a
lenti vim no

Ad 3.
originalis c
clinatione a
habent aliqu
tatione; 8
peccatum,
ideoque re
cipiat natur

D I
De J

A Nima

R. *Ad 1.* distinguendo: Caro refugiebat mortem præceptam dependenter ab imperio rationis, actu ineffaci Con. independenter & cum resistentia ad rationem N. nām licet ratio superior in sensu composito præcepti mortem amplectendam indicaret; eadem tamen ex honesto fine permittebat appetitui inferiori, ut actu ineffaci & in sensu diviso præcepti mortem tibi naturaliter malam refugeret.

Ad 2. Quòd Christus acceperit coronam propter pugnam cum hoste externo diabolo & mundo non cum hoste interno.

Quod si instes: Dæmon tentavit Christum externe; ergò etiam fuit in Christo pugna interna: quia non potuit tentare nisi Christo mediante cognitione repræsentaret aliquod objectum malum sub ratione boni, ad quod sequitur pugna interna.

R. Pugna interna sequitur ad repræsentationem mali sub ratione boni delectabilis & habentis vim movendi appetitum sensitivum independenter ab imperio rationis Con. non habentis illam vim N. objectum autem malum Christo repræsentatum tam vim non habebat.

Ad 3. Quòd fomes peccati sit pœna peccati originalis cum morali aliqua deordinatione & inclinatione ad culpam, aliæ autem pœnalitates non habent aliquam moralem deordinationem à recta ratione; & licet fomes peccati non sit formaliter peccatum, est tamen radicaliter & inclinativè tale, ideoque repugnat infinitæ Sanctitati, quam participat natura humana à supposito Divino.

DISPUTATIO X.

De Potentia & Defectibus Christi.

ANIMAM & humanitatem Christi non fuisse omni-